



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 14. In Transyluaniâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 12. *In Seruia.*

IVXTA Nissam planities vliginosa ad aliquot leucas patet, in quâ Oryza rubra crescit, cùm alibi crescat semper alba : sed rubra hæc deterior censetur albâ. *Rauisus in sua Cosmogr.*

§. 13. *In Valachia.*

PROPE Trescortium urbem oritur ex terrâ bitumen, ex quo Valachi candelas, & faces vulgò conficiunt, cereis non absimiles nisi quòd paulò fusciore. *Ananias tractatu primo.*

§. 14. *In Transyluania.*

HIC piscinæ salæ stagnant, à quibus omne pecus diligentissimè solet arceri; quoniam experienciâ compertum est nimio haustu ex falsugine excitato enecari. Insunt tamen iis aquis pisces saporis exquisitissimi, carne duriusculâ, adeoque dulcis aquæ impatientes, vt in eam iniecti continuò exanimentur. *Georgius Vernherus de mirabilibus aquis Hungaria.*

In quibusdam locis Transyluanicæ profeminatum secale *du segle*, mutatur in frumentum: cùm tamen alibi frumentum potius in secale degeneret. *Auctor Rerump. & Imperiorum.*

Ad ripam Marisij fluuij sal extat supra terram ad instar scopuli: immo & fluuij alueus non longè ab oppido Thorda ex sale constat. Atque etiam dum terra circumposita profcinditur, aratores sæpe vomerem in glebas salis impingunt. *Vernherus.*

In fodinâ salis Desiensi ante aliquot annos excisum est ex medio sale robur trabi persimile, tantâ duritie, vt vix ferro cædi posset. Sed extractum ex fodinâ intra dies quatuor ita computruit, vt digitis concerpi, & conteri posset. *Idem Georgius Vernherus libello tam sæpe laudato.*

